



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

III. De diuisione & administratione oblationum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1199.

rio deseruiunt continenter viuere debeant, iuxta illud: *Mundamini qui fertis vasa Domini*: in partibus Dalmatiæ atque Diocliæ sacerdotes & vxores habere & ecclesias tenere dicuntur. Quocirca præfenti decreto statuimus, vt sacerdotes & diaconi, ante susceptum officium, nisi eorum coniuges in manu episcopi votum fecerint continentia, vxores habentes cum ipsis maneant, & ecclesias dimittant, non enim possunt secundum ordinem Romanæ ecclesiæ manentes in coniugio, nisi defunctis vxoribus, aut continentiam vouentibus, si digni inuenti fuerint, ad sacerdotium promoueri. Illi vero, qui post susceptum sacerdotii vel diaconatus honorem adulteras potius quam vxores accepisse probantur, nisi eas dimiserint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio & beneficio ecclesiastico fiant penitus alieni. Prohibemus etiam ne aliquis episcopus, nisi in quatuor temporibus iuxta sanctorum patrum constitutionem, aliquem ad sacros ordines promouere præsumat: solus enim Romanus pontifex dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cum autem episcopus ordinationem fecerit, non nisi vnum ordinem a subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in subdiaconum ad minus per annum in eodem officio deseruiat, & diaconus similiter faciat. Quicumque autem episcopus contra hoc venire præsumperit, tamdiu a conferendis ordinibus absteineat, donec a Romano pontifice misericordiam consequatur. III.

Quoniam secundum gradus & ordines perso-

Concil. Tom. 28.

M

narum beneficia ecclesiastica in domo Domini, secundum sanctorum patrum constitutionem distributa noscuntur, decernimus, ut decimæ, seu oblationes fidelium, tam pro viuis, quam pro defunctis, in quatuor partes diuidantur: quarum vna sit episcopi, alia ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum. Portionem quidem pauperum episcopus administret; portionem vero ecclesiarum archipresbyter conferuet, & ex mandato episcopi in vsibus ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque autem clericorum contra hoc venire præsumpserit, sua portione priuetur.

## IV.

Distriētius inhihemus, ne aliquis sacerdos filii sui vel filiæ spiritalis priuatam confessionem alicui reuelare præsumat. Quod si facere conuictus fuerit, officio & beneficio ecclesiastico perpetuo spoliatur. Idem dicimus de quolibet clerico, qui de homicidio, adulterio, periurio, falso testimonio publice accusatus fuerit, & conuictus.

## V.

Cum terrenarum potestatum nuntiis siue ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris Dei honor a laicis exhibendus est, a quibus eis non solum diuina celebrantur officia, verum etiam sacrum baptisma, & corpus Domini, & pœnitentia, & cetera ecclesiastica sacramenta iugiter ministrantur. Quapropter iuxta decretum domini Innocentii papæ II. distriētius inhihemus, ne aliquis in personam episcopi, sacerdotis, vel cuiuslibet clerici, vel religiosi viri, violentas ma-